



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,  
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &  
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque  
obeundi**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniæ, 1690**

IV. Potentia Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

## III. Beneficentia Dei.

Quanta elucet Dei beneficentia in homi-  
ne sustentando! quot enim beneficia in quo-  
vis panis bolo, vel cerevisia, vini ve haustu  
latent? quoties Divina Bonitas super eum  
solem suum oriri fecit? quoties frumen-  
tum & vinum, ut crescerent, pluviâ riga-  
vit? quàm benignè ac providè homines sub-  
ordinavit, qui frumentum sererent, me-  
terent, triturarent, molerent, pinserent &c.  
vitem plantarent, pastinarent, foderent,  
uvas colligerent, vinum exprimerent, re-  
conderent, adveherent, omnibus vitam &  
vires communicando? Gratias age, & red-  
ama: nec pro tot benefactis, malefacta re-  
pende.

## IV. Potentia Dei.

Quanta resplendet Dei potentia in pro-  
ductione frumentorum, & arborum; in qua  
cum prodigia & miracula quotidiana  
sint, admirationem non habent: dum fru-  
menti grana terra commissa, mortua &  
putrefacta, quodammodo resuscitat &  
multiplicat; iisdemq; tot hominum millio-  
nes sine labore pascit: quæ sanè, teste S. Au-  
gustino, miracula majora sunt, quam quòd  
V  
quinque

quinque panibus, quinque hominum mil-  
lia olim paverit. Admirare & gratias  
age.

### V. Cibus Cœlitum.

Quanta denique est excellentia & no-  
bilitas cibi Electorum in cœlesti patria?  
Cibus hic verè angelicus, cœlestis & di-  
vinus, omnem dulcedinem & saporem sua-  
vitatis in se continet; omne manna lon-  
gissimè superat; nunquam radium parit;  
sed quò plus comeditur, plus appetitur &  
esuritur. O verè beatus qui manda-  
cabit panem in regno Dei, ubi Filius Ho-  
minis transiens ministrabit! Ad hunc ci-  
bum aspira, illi inhia, & à terrenis silis-  
quis affectum abstrahere.

### Observanda tempore Mensæ.

Mensam aditurus velut mendicus an-  
te januam magni Patrisfamilias staret  
missis oculis, plicatis manibus, mente in  
cœlum elevatâ, debitâ cum reverentia at-  
tentione, & pietate, absq; indecora festi-  
natione, consuetam è Breviario Romano  
benedictionem pramitte & leges duodecim  
sequentes legibus duodecim Tabularum as-  
pud Romanos longè præstantiores observa.